

17 Pamphilius, Jac.

n. 2/-6) andere Schrift

Am 153  
(1-6)

九



Jacques de Pamèle

3  
EPISTOLA  
MARTINI  
BECANI SO-  
CIETATIS IESV  
THEOLOGI

A D  
D. DAVIDEM  
PAREVM THEO-  
LOGVM HEIDEL-  
BERGENSEM.

DE ACTIS COLLO-  
QVIORVM SVVALBACENSIVM,  
& de fide hæreticis seruanda.



MOGUNTIAE,  
Typis IOANNIS ALBINI.

M. DC. XIX.

EPISTOLA

MARTINI

BECCANI SO

CLETATIS TEST

THEOLOG

AD

D. DAVIDEM

BARHEM THEO

LOGUM

BERGENSEM

DE SACRIS COLLO

QUI IN ANNO 1527

IN URBE BERGENSE



1527

IN URBE BERGENSE

1527

ARGVMENTVM  
EPISTOLÆ.

**B** Eneuole lector: Huius Epistolæ pars duplex est: una de Actis Colloquiorũ Sꝛualbacensium: Altera de fide hæreticis seruanda. Vt prioris scopum ac argumentum intelligas, sic accipe. Ante undecim annos, (id est, anno 1608. mense Augusto) Dominus David Pareus, Professor Heidelbergensis, apud acidulas Sꝛualbacenses, ubi tunc valetudinis curandæ causa versabatur, habuit varia colloquia cum Iesuitis, Becano, Serario, Molhusino, de diuersis Christianæ fidei controuersis. Et quidẽ primo die Augusti ante

prandium, cum Becano de Pur-  
gatorio disceptavit, presente  
Sacerdote Catholico. Post  
prandium, cum Becano & Sera-  
rio de autore Peccati, presente  
Adriano Romano, Doctore Me-  
dico. Sequentibus diebus, cum Mol-  
husino, de Inuocatione Sanctorum,  
& quibusdam alijs capitibus, præ-  
sentibus eodem Adriano, & Io-  
anne Rudgero Rectore Herbipo-  
lensi. Acta istorum colloquiorum  
tunc quidem priuatim scripta sunt  
à Pareo, ut ipsemet fatetur; sed  
iam primum, post tot annos, non  
sine suspitione male fidei, ab eo-  
dem in lucem edita. De hac re  
expostulat cum illo Becanus. Re-  
liqua ex decursu Epistolæ facile  
intelliges. Vale, & boni consule.

PRIOR



I  
PRIOR PARS  
EPISTOLÆ

DE  
ACTIS COLLOQUIO-  
RVM SCHVVALBACEN-  
SIVM.



Alue Domine Paree. Cau-  
sa, curte interpellem, est  
hæc. Redeunti mihi supe-  
rioribus diebus ex Au-  
stria, vbi aliquot annos in Academia  
Cæsarea Viennensi commoratus sum,  
obtulit Theologus Moguntinus libel-  
lum, à te hoc anno 1619. diuulgatum,  
cum hac inscriptione: *Acta colloquio-  
rum Svvalbacensium, inter tres Doctores  
Iesuitas, & Dauidem Pareum Theologum  
Heidelbergensem, mense Maio, anno 1608.  
habitorum.* Miratus sum: & antequam  
perlegerem, subito occurrit hæc cogi-  
tatio: Quid hoc est? Iam decēnium ab-  
ijt, & vltra, cum ista colloquia Svval-  
bacensia inter D. Pareum, & nos habi-

ta sunt : Et nunc demum à D. Pareo e-  
 uulgantur ? Cur non citius id factum ?  
 Cur non viuentibus illis , qui interfue-  
 runt ? Cur post mortem illorum dilata  
 hæc Editio & promulgatio ? Sine du-  
 bio, mala fide à Pareo actum. Sic ego.  
 Mox libellum inspicio & percurro. Et  
 ecce, hoc ipsum, quod tacitus apud me  
 cogitabam , in ipsa libelli præfatione  
 reperio , his ipsis verbis à te configna-  
 tum : *Neque, inquis, ab instituto me deter-  
 ruerunt murmura multorum, editioni huic  
 parata : Cur non maturius ediderim ? cur  
 nunc demum, aduersariis plerisque, vita fun-  
 ctis actionem intendam ? Cur mihi potius,  
 quam illis credi velim ? Ad quæ tria sic re-  
 spōdes : Primū equitati & patientia mea :  
 Alterum necessitati ascribendū esse, pru-  
 dentes intelligent. De fide narrationis, quin-  
 quisque sentiat, quod volet, non impedio. Cui  
 vero subit dubitare, is lecto historia præ-  
 mio acquiescet, haud dubie, si bonus est : si  
 malus, suo per me fruatur ingenio.*

2. Sicutu, D. Paree. At magni viri ex-  
 istimant, non tam facile ac ossitanter  
 murmura illa sopiri posse. Ego sane,  
 quod libere dicam, plus difficultatis in

ijs aduerto, quam tu forte arbitraris, aut saltē præ te fers. Ideoq; statui paucis ea examinare, ac familiariter de toto negotio tecum ratiocinari. Confido non ægre te id laturum. Nec est, quod metuas à me conuitia, calumnias, maledicta. Lubens abstineo ab his omnibus: Neque ingenio meo, aut instituto consentanea sunt. Tu quidem (quod postea obijciam) vix alijs præfidijs in tuo libello vsus es: Sed mihi fixum statutumque est, non regerere maledicta pro maledictis; Sed modeste ac syncere, vt Christianum Theologum decet, tecum disceptare. Ac tria illa potissimum, quæ tuis verbis proposui, breuissime discutiam. Primo, cur toto decennio silueris. Secundo, cur nūc demum, aduersarijs plerisq; vita functis, silentium abrumpas. Tertio, cur tibi potius, quam nobis credi velis. Ad damaliquid de Purgatorio & Auctore peccati, de quibus inter nos in colloquijs actum est. Reliqua, quæ cum Molhusino disputasti, nihil ad me spectant, Cum illo transige.

1. Cur D. Pareus toto decennio  
siluerit de Actis Colloquiorum  
Svvalbacensium?

3. **A**Is, id æquitati & patientiæ tuæ  
affcribendum esse. Si ita est, nõ  
inuideo tibi has virtutes, quibus orna-  
tum te esse insinuas. At secus rem habe-  
re, facile ex tuis verbis conuincam. In  
quibus tria reperio, quæ non æquitatẽ  
& patientiam, sed animi turbati incõ-  
stantiam & acerbiter manifeste pro-  
dunt. Audi, obsecro. Primum est: Ante  
decennium, id est, anno 1609. mense  
Augusto, scripsisti Epistolam ad Nobi-  
lem D. Othonem à Berlips, in qua di-  
serte promittis, te Acta Colloquiorum  
Svvalbacensium breui in lucem editu-  
rum. (Epistola hæc habetur in libello  
tuo, pag. 131.) Verba Epistolæ sunt hæc.  
*Dissertationes illas nostras Svvalbachia-  
nas. & egregios Iesuitarum triumphos sty-  
lo populari, veletiam Latino, optima fide  
publicare constitui, vt omnibus pateat ho-  
rum proteruia. Idque faciam, si Deus volet,  
breui sub vindemia ferias.* Secundum est:  
In

In præfatione libelli sic habes: *Ego sane perpetuum ad hos mihi indixeram silentiū, præsertim hac mea atate, quæ melioribus studiis debetur.* Tertium est: In eadem præfatione, post pauca, sic subijcis: *Tā atroci scandalo, quod Iesuita Lectoribus calumnia sua posuit, adeo me affectum commotumq̄ testor, ut ilico de silentio abrumpendo cogitarem.*

4. Si hæc vera sunt, inconstantem te esse necesse est: Si falsa, mendacem. Inconstantia in his deprehenditur. Primo, quod ante decennium habueris propositum diuulgandi Acta Colloquiorum Svvalbacensium. Secundo, quod illud propositum mutaueris, & perpetuum silentium tibi indixeris. Tertio, quod indictum silentium non seruaueris, sed ex subita animi commotione abruperis. Nullum hic vestigium patientiæ: Sed quidquid est, inconstantiam & animi turbationem præ se fert. Et quod fieri solet, cum inconstantia mendacium coniunctum est. Quando enim, quod tu asseris, perpetuum silentium tibi indixisti? Nunquam. Certe non ante decennium. Tunc enim de

Actis Colloquiorum diuulgandis serio  
 statuebas, vt iam ostendi. Nec etiam  
 postea. Nam anno 1610. cum ex literis  
 cuiusdam Medici intellexisses, spar-  
 sum fuisse à Confluentinis Iesuitis, Pa-  
 reum in Colloquijs Svalbacensibus  
 male disputasse. Ita subito excanduisti,  
 vt ægre ad te redires. Hoc tu ipse fate-  
 ris pag. 137. his verbis: *Hæc ubi legissem,*  
*dici vix potest, quam ægre tam petulantes*  
*sarcasmos atque mendacia concoxerim.* Er-  
 go vel tunc non habebas propositum  
 perpetui silentij: vel, si habebas, non o-  
 riebatur ex æquitate & patientia. Nam  
 ægra ista concoctio, non patientiæ, sed  
 irati animi signum est. Elige alterutrū.  
 Accedit, quod interea diligenter reco-  
 gnoueris libellum Actorum Svalba-  
 censium, quem ante decennium pri-  
 uatim scripseras, sed non publice euul-  
 gaueras. Certe non alia intentione,  
 quam vt aliquando euulgares. Quan-  
 do ergo perpetuum silentium tibi in-  
 dixisti? Non inuenio. Porro de ista li-  
 belli tui recognitione, tu ipse  
 testis es pag. 17.

2. *Cur Pareus nunc demum, ad-  
uersariis plerisque vita fun-  
ctis, silentium ab-  
rumpat?*

5. **Q**uid alij de hac re sentiant, faci-  
le dictum est. Aiunt multa à te  
consignata esse in Actis Svvalbacensi-  
bus, quæ reuera acta non sunt: Ideoque  
ne fraus & impostura detegeretur, di-  
stulisse te Actorum editionem in hunc  
annū, quod scires Catholicos omnes,  
qui testes interfuerant, iam certo ex  
hac vita decessisse: Nec deinceps me-  
tuendum esse, ne quis falsitatis te argue-  
ret; præsertim cum tibi constaret, Be-  
canum, qui solus superstes est, in Au-  
stria commorari, & tam longo locorū  
interuallo à te distare, vt non facile pos-  
sit intelligere, quid tu Heidelbergę scri-  
beres, aut comminiscereris. Nihil er-  
rant, opinor, qui ita sentiunt.

6. Sed tamen, quid tu obtendas,  
ex te audiamus. Age igitur Paree,  
quid te impulit, vt abrupto decen-  
nali silentio, aduersariis plerisque  
vita

8 *De Actis Colloquiorum*

vita functis, Acta Colloquiorum in lucem dares? Necessitas, inquis. Audio. Sed quæ ista necessitas est? tu quidem bis eam explicas, semel in præfatione, & semel in proœmio: sed ita, vt ipse tecum pugnes. Nam in præfatione sic scribis: *Ego sane perpetuum ad hos mihi indixeram silentium. Verum enim vero, nuper admodum accidit, vt quidam Theologiae Studiosus, nouum hætenusq; me latens atrocis notæ mendacium in Tractatu D. Becani de Deo, & Attributis diuinis, mihi monstraret, quasi ego confessus sim, aut concesserim, Deum Caluini esse Diabolum. Tã atroci scandalo, quod Iesuita Lectoribus calumnia sua posuit, adeo me affectum commotumque testor, vt ilico de silentio abrupto cogitarem: Ne & veritati à mendacis vindicanda, & scandalo inuentutis minuendo, quin & honori meo, quem nimis diu impune isti flagellarunt, asserendo defuisse viderer diutius.*

7. In proœmio vero sic: *Si qui sunt, qui Iesuitarum Moguntinorum de Colloquiis suis cum D. Pareo Sivalbachij habitis, triumphos in chartis eorum viderunt, vel auditione acceperunt: atque in eam inde*  
vene-



*Svvalbacensium.*

venerunt opinionem, vel D. Pareum causam bonam egisse male, vel Iesuitas causam malam contra Euangelium Christi egisse bene: Eos ego rogatos peramanter nunc velim, tantisper ut suum illi suspendant iudicium, donec quæ dicturus sum de historia veritate, cognoscant. Æquum est enim, ut duas, quas habet, aures inter nos diuidant: Cumq; prius hauserint ea, quæ pars una pro sua causa ornanda, purgandaq; scripsit & disseminavit varie; etiam posterius legant, & cognoscant ea, quæ pars altera pro asserenda tuendaque causa, non sua, sed Evangelij Iesu Christi, ut iam pridem scripta, nunc tandem diulgaret, aduersariorum effecit extorsitq; improbitas Sic intelligent, Iesuitarum duorum, D. Becani & D. Molhusini quiritationes, iactantias, victorias, triumphos de D. Pareo esse vanissimos.

8. Hæc tu, Paree. Sed aduerte, obsecro, quam pugnancia sint, quæ pro tua pugnatione adducis. In priori paragra-  
pho, totam culpam conijcis in solum Becanum: in posteriori, æque in Molhusinum. Rursum, in priori allegas tres causas abrupti silentij. Vnam, ut veritatem à mēdacijs vindicares, Alteram,

vt

vt scandalū iuuentutis minueres. Tertiam, vt asserendo tuo honori non deesses. At in posteriori, nullam aliam causam agnoscis, nisi solius Euangelij Iesu Christi. Et omnino secludis tuam causam, tuum honorem, tuam apud discipulos æstimationem. Adeo quidem, vt etiam ausis affirmare, hoc interesse inter te & nos: quod nos nostram causam, non Euangelij: tu non tuam, sed solius Euangelij defendendam susceperis. Hæc non cohærent, D. Doctor.

9. Vt interim dissimulem falsitates, quæ vtrique paragrapho inspersæ sunt. Aliquas attingam. Primo, ais, te non causam vestram, sed solius Euangelij Iesu Christi contra nos asserere ac tueri. At mi homo, præcipua causa, quam contra me asseris ac tueris, est hæc: Calvinistas non docere, Deum esse authorem peccati. Hæc non est causa Euangelij Iesu Christi, sed vestra. Deinde, si causam Christi asseris ac tueris, cur tam tarde id facis? Cur post elapsam decennium? adeo negligens in Christi cau-

cau-

causa es, vt tot annorum decursu nihil egeris, nihil conatus sis, sed perpetuum silentium tibi indixeris? Et ne nunc quidem, elapso decennio, fecisses quidquam, nisi de tuo honore asserendo ageretur: facile apparet, tuam tibi potius, quam Christi causam cordi ac curæ esse.

10. Secundo ais, nuper à quodam Theologiæ studioso, monstratum tibi esse in meo Tractatu de Deo & Attributis diuinis, *nouum hætenusque te latens mendacium.* Quod illud mendacium? Pareum concessisse, *Deum Caluini esse Diabolum.* Hoc non reperies in isto meo Tractatu. Non enim scripsi te concessisse, Deum Caluini esse Diabolum: Sed, Deum Caluini esse authorem peccati. Deinde falsum est, illud mendacium (vt tu vocas) Deum Caluini, ex tua concessione, esse Diabolum, latuisse te vsq; adhunc annum. Nam ante annos nouem (nempe anno 1610.) illud ipsum, totidem verbis ab Erudito & graui viro per literas ad te perscriptum est, vt diserte affirmas pag. 134. & sequentibus,

11. Tertio ais, hos tortasse, qui Becani & Molhusini chartas legerunt, in eam venisse opinionem, vel D. Pareum causam bonam egisse male: vel Iesuitas causam malam egisse bene. Non ita est. In eam potius venerunt opinionem, Pareum malam causam egisse bene: suam, non bene. Si hoc enigma non capis, explicabo. Malam causam egisti bene, id est, eo modo, quo causa mala soleragi bene, nempe per conuitia, falsitates, criminationes. De quibus paulo post. Tuam causam non bene: quia sperabas honori, & æstimationi nominis tui aliquid accessurum, si scriberes. Non est factum. Derogatũ est aliquid: nihil accessit. Et minus tibi nunc creditur, quam ante

12. Quarto ais. Duorum Iesuitarum, D. Becani & D. Molhusini quiritationes, purgationes, iactantias, victorias, triumphos de D. Pareo vanissimos esse. At vbi vnquam in meis opusculis, quæ hætenus scripsi, inuenisti meas quiritationes, purgationes, iactantias, victorias, & triumphos de D. Pareo, ratione Colloquiorum Syvalbacensium? Nusquam.

quam. Tua figmenta, tuæ chimeræ sunt, quas obtrudis. Nihil vnquam scripsi de istis colloquijs, nisi hæc verba: *Dicam, quid nuper contigerit. Autumno superiore noster Nicolaus Serarius, & ego eramus apud acidulas Svvalbacenses. Ibi commode incidimus in Davidem Pareum Calvinistam, & Professore Heidelbergensem. Salutauius hominem perhumaniter, & ille vicissim nos. In progressu, amice ac modeste mihi obiecit, quod in quadam disputatione, quæ typis edita est, scripsissem: Deum Calvinistarum esse authorem peccati. Respondi, me solide id probasse ex verbis & sententijs Caluini. Tum ille: Esto sane, inquit, sit ista Caluini sententia: At nō Calvinistarum. Hic subridens Serarius, ita subiecit: Domine Paree, Hæc lis facile, vt video, inter vos componetur. Sola particula, Starum, expungatur, & res erit salua. Placuit hoc Pareo, & Colloquium solutum est. Vix Moguntiam reuersi eramus: Et ecce Pareus ad me Epistolam dat, in qua inter alia monet nos nostri officij, hoc carmine:*

Vos quoque promissi memores, delete litura

B

In-

Ingenua STARVM, impegistis quod  
male nostris.

*An non fatetur hoc carmine, Deum ex  
sententia Calvini esse authorem peccati,  
tametsi Calvinum in hac re sequi non ve-  
lit?*

13. Hæc ego totidem verbis. (Pri-  
mo quidem in libello de differentia in-  
ter Calvinistas, Pelagianos, & Catho-  
licos in Negotio prædestinationis, an-  
no 1609. Deinde in Tractatu de Deo &  
Attributis diuinis, anno 1611.) Nec a-  
liud quicquam. At nihil ibi mearū qui-  
ritationum est, nihil iactantiarum, ni-  
hil triumphorum de D. Pareo. Si quæ  
quiritatio est, tua est. Conquestus es,  
me scripsisse, Deum Calvinistarum esse  
autorem peccati. Nihil ego cōquestus.  
Solum scripsi, quod tibi honorificū est,  
D. Pareum perhumaniter nos resalu-  
tasse, & amice ac modeste mecum egis-  
se. Quid hic mali? Non video. Si D. Mol-  
husinus quiritatus est, si iactantias, vi-  
ctorias, & triumphos de te scripsit ac  
diuulgavit, cur cum illo, adhuc super-  
stite, non transegisti? Cur nunc tādē,  
illo

illo pridem mortuo ac sepultō, mihi obijcis, quæ ad me non pertinent? Ille, sine dubio, facile pro se respondisset, ut non semel ab eo præstitum est: non minori ipsius laude, quam tua infamia ac dedecore. Scripsit in te, *Speculum miseriarū Parei*. Illud relege, si lubet. Quamquam si tam languente stomacho es, ut ægre possis concoquere (quod supra confitebaris) potius abstinendum esse existimo. Ad alia progrediamur.

3. *Cur Pareus sibi potius, quam nobis credi velit?*

14. **A**D hanc quæstionem (à qua pendet fides tuæ narrationis de Colloquijs Svvalbacensibus) dupliciter respondes. Primo sic: *De fide narrationis quin quisque sentiat, quod volet, non impedio.* Itaque, per te, vnicuique liberum est sentire, quod vult. Liberum igitur est sentire, narrationem tuam esse mendacem, cui fides haberi nec possit nec debeat. Ec sic sentiunt Catholici. Sic plerique Lutherani, qui

te norunt. Sic non pauci ex tuis fratribus Calvinistis, qui iam pridem de mendacijs te accusarunt. Nosti, qui illi sint. Scaliger est, & quos repetere super se deo, propter ægram stomachi tui concoctionem.

15. Secundo sic respondes: *Cui verò subdit dubitare, is lecto historiae proœmio, acquiescet sine dubio, si bonus est: si malus, suo per me fruetur ingenio.* Risi, cum hoc legerem. Primo, quod Lectorem dubitantem de veritate tuæ narrationis, remittas ad tuum proœmium, in quo asseris te *fideliter & sine dolo* narrare, quæ gesta sunt. Quasi vero non æque in proœmio, ac in ipsa narratione mentiri posses. Secundo, quod addas: *Acquiescet sine dubio, si bonus est.* Quasi bonus non sit, qui tibi fidem non habeat. In utroque videris hunc circulum committere. Est ne Pareo credendum in narratione Actorum Svalbacensium? Omnino. Quare? Quia in proœmio dicit, se omnia *fideliter & sine dolo* narrare. Sed vnde constat hoc proœmium verum esse? Ex ipsa narratione, quæ *fideliter*



deliter & sine dolo facta est. Sed unde sciam fideliter factam esse? Ex proœmio, in quo id asseritur. Sed quid si proœmium sit fallax? Non potest fieri, quia respondet narrationi, quæ vera est. Sed de veritate narrationis quis securum me faciet? Veritas proœmij. At ego non credo proœmio. Si non credis, abi in malam crucem. Crederes haud dubie, se bonus esses. Itane, mi Circulator?

16. Ego sine Circulo, cãdide & sincere dico, quod res est: Non magis tibi, quam mihi. Imo, tibi nullo modo in narratione Actorum Svvalbacensium credendum esse, propter has rationes. Primo, quia eo ipso, quod nō ausus fuisti divulgare narrationē, nisi post mortem eorum, qui interfuerunt, reddidisti te suspectum de fide narrationis. Ego è contrario, quidquid scripsi de hac re, ante decennium scripsi, cum adhuc superstites essent, qui testari poterant. Nec vllus mihi tunc contradixit. Ne tu quidem, aut Batauus tuus, quos constat legisse ea, quæ tunc scripsi.

17. Secundo (quod in idem fere recidit) Quando duo litigant de homicidio ante decēnium perpetrato, & alter alterum reum agit; ei potius credendū est, qui mox ab initio, cum perpetratū est homicidium, proposuit narrationē rei gestæ, paratus audire testes, qui præsentes fuerāt; quam alteri, qui ab initio rem totam dissimulabat, & nunc primū prodit, quando testes mortui sunt. At tu mecum litigas de disputatione ante decennium habita, & alter alteri fugam obijcit. Ac ego quidem mox, peracta disputatione, historiam rei gestæ in lucem dedi, paratus subire censuram eorum, qui erant conscij. Tu vero rem totam dissimulasti, & nunc tandem prodis, quādo testes mortui sunt. Mihi igitur potius, quam tibi credendum est.

18. Tertio, Qui profitetur se velle fideliter & sine dolo narrare historiam rei gestæ inter duas partes litigantes, debet nudam rei gestæ historiam proponere, & ex se, neutram partem conuitijs aut calumnijs grauare, ne alteri  
plus

plus æquo addictus, ac proinde partialis esse videatur, cui minime credendū sit. At tu in proœmio profiteris, te velle *fideliter & sine dolo* narrare historiam rei gestæ inter te & Iesuitas: Et tamen perpetuo insectaris Iesuitas asperrimis verborum conuitijs ac contumelijs: Et è contrario, te ipsum vbique laudas & victorem pronuncias. Igitur alteri parti plus æquo addictus es, vt minime credendum tibi sit. Minorē probo ex tuis verbis, quia Iesuitas passim appellas *improbos, proteruos, mendacissimos, calumniatores, versipelles, truculentos subdolos, perfidos, criminatores, vertiginosos, virulentos.* Taceo cæteras spurcicias, quas verecūdæ aures non admittunt. Quæ omnia satis pdunt, turbato & iracūdo animo te fuisse, cū hæc scriberes. At de te gloriose vbiq; sentis. *Iesuite, inquis, mei vnus causa Svvalbachium conuolarunt.* Item, *Si dixero, illos plerumq; dedisse se turpiter, nihil mentiar.* Itē, *ego eos disputando huc abegi, vt se conuictos faterētur.* Et quæ similia sunt hominis arrogantis de se ipso Encomia. Quis tibi, tam prauis

affectibus ac passionibus in vtramque partem laboranti, fidem habeat? Si volebas fideliter & sine dolo historiam scribere, debebas hanc vel similem scribendi formulam vsurpare: *Iesuita sic argumentati sunt: Pareus sic respondit: Quid opus erat conuictijs?*

19. Quarto (quod primarium est) Illi minime credendum est in aliqua narratione, qui in eadem narratione de multis mendacijs & contradictionibus aperte conuinci potest: At tu, in narratione Actorum Svalbacensium, de multis mendacijs ac contradictionibus aperte conuinci potes: Non igitur in ea narratione credendum tibi est. Minor posset tripliciter probari. Primo, ex nuda mea asseueratione; vt si nude asseram, falsa esse, quæ scripsisti: sicut tu nude asseris, vera esse, quæ narra- sti in secunda collatione. Sed is probandi modus non est sufficiens. Tu quidem illo vsus es: sed ex desperatione, quia alium non habebas. Secundo, ex adductione legitimorum testium. Sed quia testes, qui interfuerunt plerisque col-  
lato.

lationibus, mortui sunt; neque à te, neque à me adduci possunt. Interfuerunt Serarius, Adrianus Romanus, Ioannes Rudgerus, Nobilis D. Otto à Berlips, alij plures. Nemo superest. Tu quidem appellas nostram conscientiam in testem: sed ego vicissim tuam appello. Tertio, ex tua ipsius concessione, vt si probem ex tuis verbis & scriptis, te tibi ipsi non constare. Hic modus conuincendi aduersarium efficacissimus est; quem etiam Christus confirmauit in parabola Euangelica, cum dixit, Lucæ 19, 22. *Ex tuo ore te iudico, serue nequam.* Hunc modum contra te vsurpabo: & ex tuo ore aperte conuincam, te mendacem esse, cui minime credendum sit.

20. Primo, igitur adduco illas contradictiones, quæ ex tua ipsius confessione hæctenus allatæ sunt. Prima est: Pareus perpetuum sibi indixit silentiũ de Actis Colloquiorum Svvalbacensium: Non indixit sibi perpetuum silentium, sed ante decennium promisit se ea diuulgaturum, ac aliquot annis post, eadem recognouit & reformauit,

B 5

eo

eo fine, vt diuulgaret: & tandem diuulgauit. Secunda: Pareus non alio fine inductus est ad Acta Colloquiorum diuulganda, quam vt Euāgelij Iesu Christi causam assereret, ac tueretur: Pareus coactus est Acta Colloquiorum diuulgare, vt honorem suum cōtra Iesuitas defenderet. Tertia: Pareum hactenus latuit, à Becano sparsum esse, quod ipse concessisset, *Deum Caluini esse authorem peccati*: Non latuit hoc illum hactenus, sed ante aliquot annos à quodam Medico per literas intellexit. Et sic deinceps.

21. Secundo, in titulo libelli tui sic scribis: *Acta Colloquiorum Svvalbacensium, mense Maio, anno 1608. habitorum.* At non sunt habita mense Maio, sed Augusto, vt tu ipse postea fateris, pag. 11. & sequentibus. Et quanquam hic error non magni momenti sit; error tamen est: ex quo manifeste colligi possit, nec facile, nec tuto credendum tibi esse, qui in ipso limine à veritate aberraueris. Nosti adagium.

22. Tertio, In præfatione pag. 6. asseris,

seris, te in colloquio mecum habito, non semel depulisse eam blasphemiam à mente & sententia Caluini, quasi ipse doceret, Deum esse autorem peccati, & consequenter, Diabolum. At pag. 146. contrarium scribis. Nimirum, quod illam disputationem de mente & sententia Caluini in aliud tempus rejeceris: & de hac ipsa re scripseris ad me Moguntiam hoc carmen:

*Dæmon sitne Deus Caluini, dispicietur*

*Æquo dehinc calamo: modo possis candidus esse.*

Vnde etiam constat, mera figmenta esse, quæ in secunda collatione ais à te allata esse pro Caluini defensione. Nam in ista collatione nihil à te disputatum de Caluini sententia; sed, ut dixi ex tua concessione, omnia in aliud tempus reiecta.

23. Quarto, pag. 10. promittis, te nihil aliud narraturum, quam quod reuera in Colloquijs Svvalbacensib. inter te & Iesuitas propositum & disputatum est. At pag. 15. multa adducis contra  
pur-

purgatorium, quæ tamē in Colloquiis proposita & disputata non sunt; ut tu ipse fateris ad marginem, his verbis: *Hæc non dicta tunc, sed adduntur declarationis causa.* Quod utinam in singulis pagellis ad marginem posuisses. Nam in singulis fere, contextis longas ratiocinationes, quas hoc decennio domi composuisti, & nunquam in colloquio adductæ sunt. Vnde etiam perspicuum est, quam vane & iactabunde scripseris pag. 16. in hunc modum: *Ad illa cum Iesuita non haberet, quod directe responderet &c.* Ad quæ illa, *Paree?* Nimirum ad illa, quæ immediate præcesserant, de quibus ad marginem: *hæc non dicta tunc, sed adduntur declarationis causa.* Si tunc non dicta, cur triumphas de victoria, quasi Iesuita ad ea respondere non potuerit?

24. Ex his paucis, quæ ex primis pagellis libelli tui desumpta sunt, aperte constat, tibi credi non posse. Reliquas pagellas, quæ multo plures sunt, non attigi, quia ad me non spectant, sed ad Molhufinum: Is, si viueret, paulo  
se-



seuerius tecum ageret, quam ego fecerim.

25. Nunc pro fine huius quaestio-  
nis sic concludo: De Actis Colloquio-  
rum Svvalbacensium, tribus modis cō-  
stare potest. Primo, ex asseueratione v-  
nius tantum partis litigantis. Secun-  
do, ex asseueratione testium. Tertio, ex  
confessione illius, contra quem agitur.  
Si primo modo agendum est; sicut tu  
asseris, veram esse narrationem, quam  
adfers: ita ego assero, falsam esse. Cur  
tibi potius, quam mihi credi vis? Si se-  
cundo, ego ante multos annos scripsi  
de Actis Colloquiorum, cum adhuc  
viuerent testes: tu omnia distulisti post  
mortem testium. Tu igitur suspectus  
es: ego esse non possum. Si Tertio, ego  
ex tua confessione conuinci, mendacem  
te esse: Tu ex mea confessione conuin-  
cere id non potes. Hæc hæctenus.

#### 4. *De Purgatorio.*

26. **I**N primo colloquio disputatum  
est de Purgatorio, vt nosti. Ego  
pro

pro illo astruendo adduxi locum 2. Machab. 12. 43. Vbi Iudas Machabæus iussit offerri sacrificium pro defunctis. Et factum eius ibidem approbatur his verbis: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Vnde conclusi, quosdam defunctos, post hanc vitam in eo esse loco ac statu, vbi per nostras orationes & suffragia iuuari possint. Eos autem non esse in cælo; quia qui ibi sunt non indigent nostris suffragijs: Neque in Inferno, quia ibi nulla est redemptio: Ergo in aliquo alio loco distincto, quem nos purgatorium appellamus; Quia animæ defunctorum ibi purgantur, si quid purgandum habent.

27. Tu quidem fateris, me hoc testimonio vltimum esse: Sed addis, D. Bederodium, qui tunc aderat, tria obiecis. Primo, quod libri Machabæorum sint Apocryphi, Ex quibus nihil probari possit. Secundo, quod factum Iudæ Machabæi fuerit superstitiosum. Tertio, quod illi, pro quibus Iudas curauit

rauit offerri sacrificium, decesserint in peccato mortali, tanquā sacrilegi; quia rapuerant anathemata per legem prohibita. Purgatorium autem non fit pro illis, qui moriuntur in peccato mortali.

28. Ego quidem memini, primū illud obiectum esse, nēpe libros Machabæorū esse Apocryphos: sed de reliquis duob. nihil memini. Suspicio, te ista in Musæo adiecisse, vt narrationē faceres pleniorē, & magis pro tua causa plausibilem. Quod tñ frustra est, vt facile ex singularum obiectio- num discussione constabit. Igitur prima obiectio est, Libros Machabæorum esse Apocryphos. Respondeo, quod tunc respondi, non Apocryphos, sed sacros & canonicos esse. Mecum sentiunt Innocētius. 1. Epist. 3. ad Exuperium c. 7. August. lib. 2. de Doctrina Christiana c. 8. Cōcilium Carthag. (cui etiam interfuit Augustinus) Gelasius Papa in Concilio Romano, Conciliū Florentinū in summa Bartholomæi Caranzæ, Concilium Trid. Et hoc tempore omnes authores & scriptores Catholici, toto orbe dispersi.

At

At Hieronymus, inquis, & quidam alij Patres non ita sentiunt. Audi, Paree. Hæc duo distincta sunt. Primo, Libri Machabæorum non fuerunt in Canone Iudæorum. Secundo, Libri Machabæorum non sunt Sacri & Canonici, prius quidem asseritur à Hieronymo, & ab omnibus merito asserendum est. Nam quando Canon Iudæorum ab Esdra, vel à Synedrio, tempore Esdræ, fuit consignatus; nondum exstabant libri Machabæorum. Quid ergo mirum est, si in illum Canorem relati non fuerint? At posterius non reperies in Hieronymo. Nusquam absolute asserit, libros Machabæorum non esse Canonicos, sed Apocryphos: quanquam asserat non fuisse Canonicos respectu Iudæorum: Vel, non fuisse relatos in Canonem Iudæorum. Sicut diserte loquitur Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 39. Cum ait: *Machabæorum libros, non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet.*

29. Altera obiectio est, factum Iudæ Machabæi fuisse superstitiosum. Absit, D. Paree. Factum ipsius laudatur in scriptura

ptura

ptura, vt dixi: Et ante me dixit Augustinus in lib. de Cura pro mortuis cap. 1. *In Machabæorum, inquit, Libris legitur oblatum pro mortuis sacrificium.* Et mox addit, quod velim te aduertere: *Sed etsi nusquam in scripturis veteribus legeretur, non parua tamen est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas: vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* An etiam Augustinum dices fuisse superstitosum? Et pro eo, quod ipse dixit, non esse parua vniuersæ Ecclesiæ authoritatem, suppones illud ex tuo Spiritu, non parua esse vniuersæ Ecclesiæ superstitionem? Si hoc facis, damnas Augustinum & vniuersam Ecclesiam, quod est temerarium: Si non facis, damnas tuum errorem particularem, quod est laudabile. Elige alterutrum.

30. Tertia est, Eos, pro quibus Iudas Machabæus curauit offerri sacrificium, fuisse sacrilegos, ac proinde in peccato mortali ex hac vita decessisse.

C

An

An ergo, si sacrilegi non fuissent, putares recte fecisse Machabæum, sacrificium pro illis offerendo? Si recte, non omnis oratio pro mortuis damnanda est: cur igitur omnem damnatis? Si non recte, quod necesse est excipere sacrilegos, cum omnes, tua opinione, excipiendi sint? Et unde constat tibi de illorum sacrilegio? Fuerint certe auari, raptores, inobedientes; quia contra Dei præceptum abstulerunt aurum & argentum idolorum. An ideo Sacrilegi? Fuerint et sacrilegi. At non omne peccatum sacrilegij mortale est. Sæpe ob paruitatem materiae, vel alias causas, potest esse veniale. Sed fuerit etiam mortale. Potuit tamen, quoad culpam expiari per actum contritionis, ante mortem. Et, quid si in plerisque; vel saltem in aliquibus, expiatum sit? Vides, quam multa tibi probanda sint, ut vel minimum efficias.

31. Haftenus de testimonio scripture à me citato. Nunc audiamus, quid tu cum D. Brederodio contra purgatorium opposueris. Ais te hæc opposuisse. Primo, quod anima filioli Davidis recta in  
 cœlum

cœlum delata sit, non in purgatorium. Secundo, quod similiter Lazarus, non in purgatorium, sed in sinũ Abrahamæ sit deportatus. Tertio, quod latroni dictum sit, *Hodie mecum eris in Paradiso*, id est, in cœlo. Quarto, quod in Apocalyp. cap. 14. 13. scriptum sit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Quinto, quod eodem pertineat illud Christi, Ioan. 5. 24. *Qui verbũ meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam. & in iudicium non venit, sed transijt à morte in vitam.* Ad tria priora ais me aliquid respondisse, sed non solide: ad reliqua duo nihil habuisse, quod responderem.

32. Ad tria priora sic respondi generatim: Neminem mortalium, ante Christum, ascendisse in cœlum, sed Christum fuisse primum, qui illuc ingressus sit. Et pro hac responsione citavi (non illud, quod tu fingis me citasse: *Nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis*) sed illud Hebr. 6. 19. *Vsque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis in-*

*troiuit Iesus.* ex quo dixi aperte colligi, Christum, cum ascenderet in interiora velaminis, id est, in cœlū, fuisse præcursorem, respectu omnium nostrum, quos ipse redemerat, & quibus ianuam regni cœlestis aperuerat. Neminem igitur, nec filiorum Dauidis, nec Lazarum, nec latronem, ante Christum introisse. Quod autem non citauerim locum à te, sed à me adductum, potes ex eo meminisse, quod Heidelbergam reuersus, cum haberes sub manu commentarios tuos in Epist. ad Hebræos, diligenter conatus sis locum illum explicare, ne tibi videretur fuisse contrarius.

33. Quod porro addis, ad reliqua duo testimonia, me non habuisse, quod responderem; mirum non est, quia illa tunc non sunt proposita, sed postea à te adiecta. Quod video in singulis fere paginis à te factum, vt supra in tinaui. Et omnino verisimile est, toto hoc decennio te laborasse in augenda, polienda, & reformanda tua Narratione: Neque attendisse, quam vere, sed quam specio-

se in



se in lucem prodire posset. Nega, si audes, iam antea extorfi à te hanc confessionem: *Hæc non dicta tunc, sed adduntur declarationis causa.* Ad do aliam, quam habes pag. 17. *Cum hæc, inquis, in ipsis acidulis, duodecimo Iulij, anno 1615. recognoscerem,* nimirum addendo, mutando, detrahendo, pro tuo arbitrio.

34. Ne tamen videar, ne nunc quidem respondere posse ad ea, quæ hoc decennio, dum Acta Colloquiorum recognosceres, addidisti; Paratus sum singula repetere, & ad singula seorsim respondere: Etiam ad tria illa priora, quæ nunc maiori pompa à te conscripta sunt, quam ante decennium in Colloquium fuerant proposita. Primo igitur sic obijcis, pag. 14. *David optabat ire ad infantem defunctum, quando dixit: Nunc autem, quia mortuus est, cur ieiunem? Nūquid poterō reuocare eum amplius? Ego vadam magis ad eum: ille vero non reuertetur ad me.* (2. Reg. 12. 23.) At non optabat ire ad purgatorium, sed ad cælum: Ergo statuebat, infantem suum non iuisse ad Purgatorium, sed ad cælum.

lum. Respondeo. Duplex hic vitium est. Primo, quia maior est falsa. Non enim optabat David ire ad infantem, sed solum dicebat se moriturum, sicut & infans erat mortuus. hoc patet ex antithesi, quam faciebat, quæ est eiusmodi: Ego non potero efficere, ut infans mortuus redeat ad vitam mortalem, in qua ego sum: Sed potius è contrario futurum est, ut ego moriar, sicut & ille mortuus est. Secundo, etiam si darem (quod minime facio) infantem Davidis recta iuisse ad cœlum; Inde non sequitur, quod tu inferis, Non dari Purgatorium. Non enim necesse est, omnes iustos, qui ex hac vita decedunt, ire ad purgatorium; sed eos tantum, qui aliquid purgandum aut expiandum habent. Infantes autem, qui ante usum rationis ex hac vita decedunt sine peccato Originali, nihil habent purgandum aut expiandum; quia nullam culpam, aut reatum pœnæ propria voluntate contraxerunt.

35. Secundo objicis: Lazarus statim post mortem deportatus est in sinum  
Abra-

Abrahæ, in locum solatij, vt constat ex illis Abrahæ verbis: *Nunc autem hic solatio fruitur.* At purgatorium nõ est locus solatij: ergo non est deportatus in purgatorium. Respondeo. Esto: non fit deportatus in purgatorium. Hinc non sequitur, q̄ inferendũ est. Non dari purgatorium. Iã ante dixi, nõ omnes iustos ire ad purgatoriũ, sed qui indigent. At nõ omnes indigent. Igitur ex eo, quod Lazarus non iuerit ad purgatoriũ, quia non indigebat: non potes inferre: Neminem ire ad purgatorium: Vel, non dari purgatorium. Sicut ex eo, quod sani non eant ad Acidulas Svvalbacenses, quia non indigent; non recte inferes, Neminem ire ad acidulas Svvalbacenses: Vel, nullas esse acidulas Svvalbacenses. Hoc pueri intelligunt.

36. Tertio obijcis: Christus dixit latroni, *Hodie mecum eris in Paradiso.* At per Paradisum, nec infernus, nec Purgatorium potest intelligi: Ergo intelligitur cœlum. Respondeo. Hic etiam duplex vitium est. Vnum simile præcedenti. Non enim sequitur: Latro iuit

ad Paradisum, & non ad Purgatorium: ergo nullum est Purgatorium. Alterū, quod per Paradisum putes cœlum intelligi. Non ita est. Alioqui Christus, qui dixit, *Hodie mecum eris in Paradiso*, debuisset eodem die ascendere ad cœlum. At non ascendit, sed, vt in symbolo profitemur, *Descendit ad inferos*. Et postea surrexit à mortuis; & post multos dies ascendit in cœlum. Quid igitur, inquires, per Paradisum intelligitur? Respondeo. Status Beatorum; vel vt Theologi vocant, visio beatifica. Est igitur hic sensus: Hodie clare videbis diuinam essentiam (in qua visione cōsistit vera beatitudo) sicut & ego video. At nemo, inquires, videt diuinam essentiam, seu, quod idem est, nemo est in statu beatitudinis, nisi sit in cœlo. Erras. Christus in hac vita fuit in statu beatorum; & tamen non fuit in cœlo. Quod etiam dico de Angelis custodibus, qui nobiscum versantur. Semper enim *vident faciem Patris, qui in cœlis est*. E contrario, Lucifer ante peccatum fuit in cœlo, & tamen non vidit clare diuinam  
essen-

essentiam. Sunt igitur distincta hæc duo: Locus beatorum, & status beatorum. Seu, cœlum, & cœlestis gloria.

37. Quæres forte, si infans Davidis; Lazarus, & Latro, non fuerunt in cœlo, ante Christi ascensionem, vbi ergo fuerint? Ego vicissim quæro, vbi fuerint animæ eorum, qui post mortem, iterū ad vitam resuscitati sunt? Quo pacto ab Helia resuscitatus est filius viduæ Sareptanæ (3. Reg. 17. 20.) Ab Heliseo, filius Sunamitidis (4. Reg. 4. 34.) Ab ossibus Helisei, quidam alius, cuius nomen non exprimitur (4. Reg. 13. 21.) A Christo, filia Iairi, principis synagogæ (Lucæ 8. 54.) Et filius viduæ in Naim. (Lucæ 7. 15.) Et Lazarus in Bethania (Ioan 11. 43.) Ab Apostolo Petro, Tabitha (Act. 9. 4.) A Paulo, Eutyclus adolescens (Act. 20. 10.) Denique, tempore passionis Christi, *monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* (Matth. 27. 52.) Vbi, inquam, animæ horum fuerunt, antequam ad vitam reuocarentur? Nō in Inferno; quia ibi nulla est redēptio.

C 5

Nec

Nec in cœlo; quia alioqui non fuisset beneficium, sed pœna, si ex cœlo & cœlesti gloria debuissent redire ad hanc vitam mortalem. Superest ergo, fuisse in aliquo alio loco, qui à cœlo & Inferno distinguebatur. Idem ergo dicam de Infante Dauidis, Lazaro & Latrone.

38. Quarto obijcis illud Apoc. 14. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur illos.* Respondeo. Hoc nihil facit contra Purgatorium. Nam ibi agitur de tempore extremi iudicij, in quo illi, qui adorauerunt bestiam, id est, Antichristum, damnabuntur ad perpetuos cruciatus: Qui autem illi restiterunt, & pro Christo mortui sunt, accipient præmium beatitudinis. Vnde sicut de prioribus dicitur; *Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum, nec habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius:* Ita de posterioribus subjicitur; *Beati mortui, qui*  
*in*

*in Domino moriuntur. A modo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, quos pro Christo perpessi sunt. Opera enim illorum sequuntur illos, id est, propter bona opera, & certamina contra AntiChristum suscepta, accipient æternam retributionem. Igitur ex hoc loco solum colligitur, post diem Iudicij non fore Purgatorium: sed alios ituros ad cœlum, qui pro Christo laborarunt: Alios ad damnationem, qui Antichristum secuti sunt. Nemo hoc negat.*

39. Quinto obijcis illud Christi, Ioan. 5. 24. *Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transijt à morte in vitam.* Non dicit, inquis, Transiit à morte in purgatorium, sed in vitam æternam. Respondeo. Hic tria explicanda sunt. Primo, quid intelligatur per mortem. 2. Quid per vitam. 3. Quid per iudicium. Tu omnia ista male interpretaris. Per mortem, intelligis mortem corporalem, qua  
ex

ex hac vita decedimus. Per vitam, intelligis vitam æternam, quæ datur post mortem corporalem. Per iudicium, intelligis illud, quo quis iudicatur ad pœnam Purgatorij. In omnibus erras. Per mortē, intelligenda est sententia mortis æternæ, cui omnes homines subiecti sunt propter peccatum primi parentis (Rom. 5. 12.) Per vitam æternam, intelligēda est vita gratiæ, quæ est quasi via seu dispositio ad vitam æternam. Sicut patet Ioan. 17. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi fides in Deum & Christum, vocatur vita æterna, quia est via & præparatio ad vitam æternam. Denique, per iudicium, intelligendum est iudicium legis.

40. Hæc omnia patent ex similibus Christi verbis: præsertim ex illis, Ioan. 3. 17. *Non misit Deus filium suum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur qui autem non credit, iam iudicatus est.* Quasi dicat: Ego non veni ad iudicandos homines, sed ad saluandos. Vel enim credunt



dunt in me, vel non credunt. Si credunt, non iudico eos ad mortem, sed à sententia mortis, cui erant obnoxij, transfero ad vitam. Si non credunt, ne sic quidem eos iudico, quia iam ante per legem iudicati sunt, ob legis transgressionem.

41. Item ex illis, Ioan. 3. 36. *Qui credit in filium, habet vitam æternam, nempe in spe & promissione: Qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Quæ est illa ira? Sententia mortis æternæ, quæ in principio mundi super omnes filios Adæ denunciata est. De qua Apostolus Eph. 2. 3. *Eramus natura filij iræ, sicut & ceteri.*

42. Itaque sensus illius loci, non est hic, quem tu fingis: Qui credit in Christum, statim post mortem corporalem transibit ad vitam æternam, sine vlllo purgatorio: Sed est iste, quem scriptura ostendit: Qui credit in Christum, cum antea non crederet, transiit de sententia mortis ad vitam gratiæ, cum spe & promissione vitæ æternæ: Nec amplius est filius iræ, sed adoptionis: Nec iudicatur

catur per legem, tanquam reus; sed per susceptionem fidei, liber est à iudicio legis. An ideo post hanc vitam nullum est purgatorium? Non sequitur.

43. Vbi obiter notandum est, duplex esse iudicium: alterum Legis, alterum Iudicis. Lex dicitur iudicare, quia qui peccat in legem, per ipsam legem iam morti addictus est, quoad reatum seu obligationem; Tametsi sententia Iudicis nondum sit lata. Iudex dicitur iudicare, quia profert sententiam mortis in transgressores legis, quoad executionem. Igitur qui in Christum non credunt, sunt quidem iudicati per legem, quatenus sunt rei damnationis æternæ, propter legis transgressionem: Sed nihilominus iudicabuntur à Christo, qui in illos sententiam feret quoad executionem. Hoc Chrysostomus hom. 27. in Ioannem, explicat à simili. Nam qui homicidium committit, eo ipso momento, quo illud committit, condemnatur à lege, tanquam reus mortis: Et postea condemnatur à Iudice, ut mortem re ipsa sustineat.

44. Puto tibi iam satisfactum esse de Purgatorio, quod tu Papisticum vocas. (Et vere Papisticum est, quia Calvinistæ eò non veniunt.) Sed nondum mihi satisfactum est de Purgatorio, quod ego ante aliquot annos Calvinisticum appellavi. Et fundatur in his principijs. Primo, quod peccatum Originale nihil aliud sit, quam *prauitas naturæ, cecitas mentis, & auersio voluntatis à Deo, cum reatu pœnæ æternæ*, vt tu ex Caluino definis in tuis thesibus de peccato. Secundo, quod hoc peccatum maneat in Calvinistis, quam diu in hac vita degunt, vt docet Caluinus lib. 2. instit. cap. 1. paragrapho 8. & alibi. Tertio, quod nihil immundum & inquinatum possit intrare in regnum cœlorum. (Apoc: 21. 27.) Ex his principijs sic conclusi: Nihil immundus & inquinatus potest intrare in regnum cœlorum, nisi prius purgetur & mundetur: Atqui Calvinistæ, quam diu hic viuunt, sunt immundi & inquinati propter peccatum Originale: Ergo non possunt intrare  
in

in regnum cœlorum, nisi prius mundentur & purgentur. Non purgantur autem in hac vita, quia semper hic manent obnoxij peccato Originali: Ergo, si salui esse velint, post hanc vitam purgari necesse est: Ergo datur aliquod Purgatorium pro Calvinistis, post hanc vitam. Hoc fusius disputavi in peculiari opusculo de Purgatorio Calvinistarum, ante complures annos. Sed nihil haftenus responsum. Tu, si quid habes, respōde. Sin minus, fatere quod res est.

### *5. De Authore Peccati.*

45. **I**N altero Colloquio dixi, quod verissimum est, Deum ex sententia Caluini esse auctorem peccati. Et probavi ex ipso Caluino, qui lib. i. inst. c. 18 §. 3. sic scribit: *Iam satis aperte ostendi, Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ isti Censores volunt otioso tantum eius permisso contingere.* Vbi diserte loquitur de Peccatis, de quibus disputare cœperat, ac nominatim de cæcitate & Tyrānide Achabi; De incestu Absalonis;  
De

De conuitio Semei; De Apostasia decem tribuum; De cædibus & rapinis Chaldeorum in Iudæa; De rabie Iudæorum in Christum; De iniquo Pilati iudicio; & de alijs similibus. Horum omnium ait authorem esse Deum; ridetque Catholicos Theologos, qui hæc sola Dei permissione dicunt euenire.

46. Quid tu ad hæc, Paree? Nihil tunc quidem. Nam (vt tu ipse fateris, pag. 146.) hanc quæstionem in aliud tempus seruasti disceptandam. Nec tamen toto decennio disceptasti. Nunc tandem hoc anno (cum scires me procul abesse in Austria; & alios, qui interfuerunt Colloquio, ex hac vita decessisse) fingis te respondisse, Calvinum eo loco, quem allegauit, non loqui de peccatis hominum, sed de occultis Dei iudicijs. Vt hic sit sensus: Deum esse authorem suorum iudiciorum, & non otiosum permissorem.

47. Mirares. Vt ex mera pertinacia defendas Calvinum; & te, & ipsum mēdacem facis. Te quidem, quia dicis te hanc responsionem dedisse ante decē-

D nium,

nium, quod est falsum, vt ex tua concessione demonstraui. Calvinum vero, quia ipse loco citato disputat contra Scholasticos Theologos, asserentes ea, de quibus sermo est, fieri Deo permittente, non authore. At Scholastici nunquam dixerunt, occulta Dei iudicia fieri, Deo solum permittente, & nō authore. Ergo si tu Calvinum sic explicas, facis eum mendacem. Quod si adhuc tergiuersaris, accipe hunc syllogismum: Qui asserit Theologos Scholasticos docere, occulta Dei iudicia contingere sola Dei permissione, mendax est; quia hoc non docent Theologi Scholastici: At Calvinus, te interprete, asserit Scholasticos Theologos docere, occulta Dei iudicia contingere sola Dei permissione: Ergo Calvinus, te interprete, mendax est.

48. Sed audiamus ipsum Calvinū, qui optimus suæ sententiæ interpret est. Igitur lib. I. Instit. cap. 18. §. 1. sic ait: *Absalon incesto coitu Patris thorum polluens, detestabile scelus perpetrat. Deus tamen hoc opus suum esse pronunciat. hoc nullo*

nullo modo potest intelligi de occulto Dei iudicio; sed, sicut verba sonant, de incesto coitu Absalonis, de detestabili ipsius scelere, de opere, quo thorum Patris polluerat. Itaque ex mente Calvini, Deus hoc detestabile scelus Absalonis, pronuntiat esse suum opus: Vel, se esse authorem illius detestabilis sceleris. Nulla hic fit mentio occulti Dei iudicij. Considera hoc Domine Paree, & post alterum decennium responde.

*6. De aliis quibusdam occurrentibus.*

49. **D**E duobus punctis præcedentibus, nempe de Purgatorio & de authore peccati, inter nos duos actum est. De quibus sufficiant, quæ dixi. Sunt alia nonnulla, quorum à te mentio fit in conficta actorum narratione. Ex ijs pauca discutiam. Nam omnia, propter ineptias, non lubet.

Primo igitur pag. 4. de Iesuitis sic scribis: *Quos novi otio abundare: aduersarios, per quos inclarescant, studiosè sectari: dicacitate superare: ad nullum men-*

*D 3*

*dacium*

dacium erubescere: ex regula deniq, suæ in-  
stituto in animum induxisse suum, nulli ce-  
dere, nunquam tacere. Grauia sunt hæc,  
Parce. Sed tot calumniæ, quot senten-  
tiæ. Prima est, quod otio abundemus.  
At perpetuo versamur in publica Theo-  
logiæ, Philosophiæ, & Humaniorum  
literarum professione; in docendo ca-  
techismo; in habendis ad populum cõ-  
cionibus; in audiendis pœnitentium  
confessionibus; in visitandis ægris &  
captiuis; in refutando Pareo & alijs he-  
reticis. Adeo quidem, vt sæpe conque-  
ramini, nos plus negotij vobis facesce-  
re, quam vllos alios. Hæc non sunt ho-  
minum otiosorum, sed strenue labo-  
rantium, nisi hoc voces otium, non du-  
cere vxorem; non litigare cum famulis  
& ancillis; non sollicitos esse de alenda  
domi prole, aut filijs in matrimonium  
collocandis; non immergi in quotidia-  
nas curas rerum temporalium. Si hoc,  
tua opinione, otium est; fateor nos o-  
tiosos esse.

50. Secunda est, quod studiose se-  
ctemur aduersarios, per quos inclare-  
scamus,



scamus, id est, quod Becanus, Serarius, Molhusinus, *vnus Parei causa* ( vt tu interpretaris ) Svvalbachium conuolauerint, id maxime confectantes, vt cōtra tantum virum, tam celebrem, Theologum, tam fortem ac robustum aduersarium, possint disputationē instituerē: atque adeo ex amplissimo, & toto terrarum orbe clarissimo ipsius nomine aliquam laudem ac gloriam aucupari, quam aliunde sperare non poterant. Si hoc vis, Paree, nimium tibi blandiris. Certe Serarius & ego, non tui, sed Principis Ratzuiliij causa, qui nos humaniter inuitauerat, Svvalbachium conuolauimus. De te, ne cogitaueramus quidem, cum Svvalbachium iremus. Sed tu fingis chimeras, quæ non sunt. Nec tui Calvinistæ tanti te æstimant, quanti tu te ipsum. Nuper, cum ad Synodum nationalem in Hollandiã vocati essent; exclusus es, & domi ad custodiendas sarcinas relictus.

51. Tertia est, quod dicacitate superemus. Sed quid intelligis per dicacitatem? Si hoc solum vis, Iesuitas esse dica-

ces, id est, multos libros scribere, frequentes ad populum conciones habere, quotidie iuventutem instituere; fateor id verum esse. Sed hoc laude, non vituperio dignum est. Si autem sic statuis, Iesuitas esse dicaces, id est, multa conuitia dicaciter in alios conijcere; iã tibi ipsi, & tuis Calvinistis iniuriam facis. Vos n. in hac palæstra palmã fertis. Et quod verissime dixero, inter vos ipsi certatis, quis dicacissimus haberi possit. Audi certamen inter te, Scaligerum, & Brederodium. Omnes Calvinistæ estis. Sed quis dicacissimus? Scaliger in Elencho vtriusque orationis chronologicæ, ait, te esse hominem *insanum, arrogantem, idiotam, stercora colligentem, prophanitatum buccinatorem, asininum, Sycophantam, Helleborismo egentem mendacem, communi sensu destitutũ.* Tu vero, ne dicacitate inferior sis, non parcis illi. Nam in Epistola ad amicum anonymum scribis, Elenchos Scaligeri esse *insanos Verrinos maledicos futiles, dicaces, impios, vanos, ridiculos, spurcos: oletis, stercoribus, sterquiliniis, latrinis, clo-*  
*acis*

*acis lutulentis oletatos: plenos dicteriorum, probrorum, Sarcasmorum, Scommatum, aculeorum, corybantiasmorum, Helleborismorum, & similium gryphorum. Brederodius neutri vult cedere. Cerre in Apologia sua pro Christiano Batauo, vix aliud eructat, quam lupanaria, lenones, meretrices, scortatores, spurios, stupra, adulteria, incestus, veneficia, cloacas, perfidias, proditiones, Sicarios, incendiarios, plagiarios, raptores, ardeliones, archiscurras, antichristos, lupos, apostatas, impostores, vyperas, fædisfragos, Sycophantas, Sophistas; Et sexcenta similia phlegmata, quibus cor ipsius plenum esse necesse est, iuxta illud Christi, Math. 12.34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Quis vnquam Iesuitarum his tot scommatibus ac calumnijs in alterum vsus est? Nemo. Vobis debetur hæc prærogatiua.*

52: Quarta est, quod ad nullū mendacium erubescamus. Hanc etiam laudem vobis referuate. Scaliger, vt iam dixi, ait te mendacem esse. Vel id verū, vel falsum est. Si verum, mendax es.

Cur non erubescis? Si falsum, ipse mendax est. Cur non erubescit? Optime in vos quadrat illud Ieremiæ 6. 15. *Confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt.* Sed de hac vestra laude sat multa dixi in priuilegijs Calvinistarum, quæ communi populorum ac gētium consensu approbata sunt. Exemplar eorum apud te est. Si lubet, inspice.

53. Quinta est, quod ex regulæ nostræ instituto, nulli velimus cedere, nūquam tacere. Nescio, an vnquam regulæ nostræ institutum inspexeris. Quidquid sit, dicam tibi candidè, quod res est. In ijs, quæ ad fidem & religionem tuendam spectant, nulli cedimus Calviniano, nulli Lutherano, nulli alteri aduersario: semper parati viua voce, calamo, priuatim, publice, pro Ecclesia Christi pugnare: nullum certamen defugere; nullū laborem formidare. Hoc ægre vos habet. Velletis nos cedere, tacere, dissimulare, canes mutos esse. Nimirum, vt submotis Iesuitis, liceat vobis impune grassari in gregem Christi, Ecclesiam lacerare, religionem euertere,

tere,

tere, hæresin propagare. Frustra est. Quanto vos magis sæuitis, & Catholicos persequimini: tanto nos ad resistendum efficimur alacriores. Nec est, Paree, quod aliud à nobis expectetis. Hoc regulæ nostræ institutum postulat. In eo persistimus, quam diu vivimus.

54. Pergo ad reliqua. Secundo pag. 7. sic scribis: *Interfuit plerisque Collationibus D. Romanus, etiam hodie, nisi fallor, superstes: sicut & D. Rudgerus, Herbipolensis Collegij Iesuitici Rector, quorum ego testimonia, in hac causa de Fide historia, libere appello.* Neuter, cum hæc scriberes, erat superstes. Neque te hoc latuit, Paree. Nihilominus de industria posuisti illam particulam, *Nisi fallor*, ut alios falleres. Nempe, ut putarent vere ac sincere te agere, cum tam libere ac confidenter audeas appellare ad testimonia eorum, qui adhuc vivunt, & rei gestæ interfuerunt. Atque utinam viuerent. Satis scio, non libere, sed anxie; non confidenter, sed renitente conscientia, ad eorum testimonia appellares. Ego, cū

viuerent, eorum testimonia auditi.  
 Quid ergo restati sunt? Hoc ipsū, quod  
 Molhusinus scripsit ad nobilem virum  
 D. Othonem à Berlips. Meministi, opi-  
 nor. Nimirum, Pareum, propter ine-  
 ptas & male fundatas responsiones,  
 publico ludibrio fuisse expositum.

55. Tertio pergis ibidem: *D. Serarij  
 in secunda collatione, cui soli adfuit, lauda-  
 ni & laudo ingenuitatem. Is tertio mox  
 mense post, ut fama erat, fatis concessit: ipse  
 sibi factus vates. Rogatus enim à me, quo-  
 tum ageret annum, Respondit, vltimum.*  
 Ex vno ore calidum & frigidum efflas,  
 D. Paree. Laudas hic Serarium Iesui-  
 tam. Et recte. At pag. 4. eundem Sera-  
 rium, Becanum, & Molhusinum appel-  
 las vultures. Et paulo post, omnes o-  
 mnino Iesuitas, & eorum Regulam ac  
 institutū contumeliose insectaris. Que  
 hæc inconstantia? Si Serarius tibi inge-  
 nuus est. Cur vulturi similem facis?  
 Sed latet mysterium, quod non omnes  
 intelligunt. Tu quidem obscure illud  
 insinuas, pag. 26. At ego clarius expli-  
 cabo. Est autem huiusmodi. Tunc tem-  
 poris

poris inter te & Scaligerum vigebat  
controversia chronologica, quæ in ma-  
gnas angustias & miseras te adegerat.  
Non enim, in ista quidem materia, par-  
eras Scaligero. Et tamen si ambo essetis  
Caluinistæ, ipse tamen publico scripto  
pronunciabat te mendacem & igno-  
rantem, ut supra recensui. Quid face-  
res? Ex vna parte regerebas conui-  
tia, sat multa, ut vestri moris est: Ex al-  
tera, quærebas patronum, qui tibi assi-  
steret. Oportune aderat Serarius, Sca-  
ligeri hostis. Igitur ab eo subsidium po-  
scebas. Nec tunc quidem, ipse abnue-  
bat. Ab eo tempore cœpisti laudare  
hominis ingenuitatem. Bene quidem.  
Sed constanter debebas hoc facere: &  
non subito, quem ingenuum dixeras,  
vulturi comparare. Quod addis, tertio  
post mense, fatis eum concessisse, non  
ita est. Vixit vsque ad finem Maij anni  
subsequentis. quod autem rogatus,  
quotum annum ageret, responderit,  
vltimum se agere; voluit significare, ho-  
minem Christianum ita debere viue-  
re, quasi non diu sit victurus.

56. Quarto progredieris ad Molhufinum, de quo sic scribis: *D. Molhufinus, an & quando in viuis esse desierit, certo dicere non habeo: nisi quod vago rumore accepi, Treuiris obiisse. Singulari enim instituto hæc societas suorum funerationes occultat, vt immortales videri possint.* Iterum redis ad institutum nostræ societatis. Et nisi tam crasse hallucinaberis, merito posset quispiam suspicari, profugum Iesuitam te esse: Ac omnia Iesuitarum secreta habere cognita & perspecta. At aliter res habet. Ignoras institutum Societatis. Et quod hic ais, *Societatem singulari instituto occultare suorum funerationes, vt immortales videri possint;* ex mera calumniandi libidine facis. Contrarium apud nos fit. Quando quis moritur, mox fiunt publica Missarum sacrificia pro ipsius anima: adornatur publica sepultura: legitur publice officium defunctorum: scribitur ad singula Societatis Collegia toto orbe dispersa, vt fiant solita suffragia: affiguntur chartæ, quibus preces indicuntur. Deniq; sic instituuntur omnia,  
 vt



vt nullus occultandi aut ignorandi sit locus. Norunt hoc adolefcentes, qui apud nos literis operam nauant: norunt Ciues, apud quos viuimus: norunt exteri, ad quos subito hæc omnia deferuntur. Neq; qui mortales nos esse experimur, mendacio immortalitatem affectamus. Alia immortalitas est, ad quam suspiramus: non in falsa hominum persuasione, sed in cœlesti gloria ac fœlicitate. Hanc tibi opto: illam, si quæris, non inuideo.

57. Quinto pag. 35. ais te respondisse Molhusino, Sanctos in cœlis non intelligere vel audire particulares nostras necessitates & gemitus. Et citasse illud Isaiaë 63. 19. *Abraham nescit nos, & Israel non agnoscit nos.* Et pag. sequenti addis, Polonum quendam iuuenem voluisse Molhusino hærenti, & à te cōstricto succurrere, sed à te cohibitum esse. Te tamen nescire, quid dixerit. Imo scis, quid dixerit: Sed non audes promulgare. Ego promulgabo. Cum proferres locum illum, *Abraham nescit nos*, subiecit adolefscens ille, non minus

nus

58 *De Actis Colloq. Suvvalbacensium.*

nus facete, quam oportune : Bene dicis, D. Doctor : Abraham nescit vos Calvinistas. Excitatus est risus: Tu, ut rem dissimulares, subiecisti; *Tace queso: Loquatur Magister pro seipso.* Hæc vera historia est, & multorum testium assertione confirmata.



AD

AD LECTOREM.  
DE POSTERIORI  
parte Epistolæ.

**V** T etiam hanc partem intelli-  
gas, sic accipe. Ante annos duo-  
decim scripsi tractatum de fide  
hereticis seruanda. Bis illum  
oppugnauit Batauus Calvinista, amicus Pa-  
rei: bis repulsus est. Et iam silet toto decen-  
nio. Pareus, quam diu Moguntia fui, nihil  
unquam tentauit. Nunc demum ante an-  
num, quod sciret me Viennæ in Austria com-  
morari, in absentem verbo & calamo de-  
bacchatus est: confidens, ex tam longa loco-  
rum distantia, nullam se plagam à me acce-  
pturum. Et forte securus fuisset, si Viennæ  
mansissem. Ibi enim de Pareo, vel Parei li-  
bellis, vix aliquid in publico auditur. Verū  
aliter res accidit. Superiori mense ex Au-  
stria Moguntiam redij. Ibi libellus, quem  
in me scripsit, mihi oblatus est. Inspexi,  
legi, refutavi: ut iam vi-  
debis.

PO.

POSTERIOR PARS  
EPISTOLÆ

DE  
*FIDE HÆRETICIS*  
*servanda.*

1. **N**on ægrè feras, D. Paree, si diutius te interpellem, quam velis. Occurrit aliud, quod suggeram. Cū istis diebus discuterem Acta Colloquiorum Svalbacensium à te conscripta, accessit Canonicus Moguntinus, amicus meus, & ecce alterum tuum Libellum exhibuit, cum hac inscriptione: *Orationo inauguralis de fide hæreticis servanda.* Ac simul insinuavit, in eo diserte me perstringi, & perfidiæ Magistrum appellari. Facile id credebam; præsertim quod ex priori tuo Libello probe iam nossem; familiare tibi esse, conuictijs ac maledictis aduersarium impetere. De quibus nihil dicam vltèrius. Maneant

neant tibi tua conuitia. De re ipsa, quæ in controuersiam venit, tecum agam.

2. Igitur ex meo Tractatu, de fide hæreticis seruanda, transcribis & exagitas hæc principia à me posita.

Primum: In promissis, pactis, & conuentis seruanda est fides hæreticis: modo promissa, pacta, & conuenta sint alias licita & honesta.

Secundum: Libertas fidei ac religionis illicita est; & Doctrinæ Christianæ contraria; & Reipublicæ noxia ac pernitiosa.

Tertium: Princeps Catholicus, non potest præcipere, approbare, aut introducere libertatem religionis; sed omnibus modis, quantum fieri potest, impedire. Si tamen impedire non possit sine maiori incommodo boni publici; potest eam tolerare, tâquam minus malum, ad euitandum maius malum, quod alioqui sequeretur. Et, si paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, quam sine maiori detrimento impedire non potest, fides pacti seruanda est.

E

Quar-

Quartum : Promissum vel pactum per vim aut metum iniuste extortum, rescindi potest; si is, qui iniuste vim aut metum passus est, id postulet.

3. Agnosco hæc principia à me posita. Quid tu vero, D. Paree? Ais primum principium destrui per annexam hanc clausulam: *Modo promissa, pacta & conuenta sint alias licita & honesta.* Vnde apparet, clausulam illam, ex tua quidem sententia, tollendam esse: Et absolute asserendum, in quibuscunque pactis ac promissis, etiam illicitis & inhonestis, fidem seruandam esse. Quod nescio, an aperte ausis profiteri. Tertium principium nihil aliud esse affirmas, quam *vastrum perfidia tegumentum ac ludibrium.* De reliquis, vera an falsa sint, disertè non dicis. Omnia tamen vellicas, arrodas, & miras consequentias inde deducis. Vno verbo: Iracunde & fastidiosè despis, quidquid à me positum est. Sed obsecro, sepone aliquantulum istam animi tui turbationem; & pacatè audi, quæ pro me allaturus sum. Forte aliter senties, quam hætenus.

4. Ac

4. Ac initio quidem postulo, quod negare non potes, vt remotis cōtrouersijs domesticis, quæ inter Pontificios & Calvinistas consistunt, hoc vnum præcisè nunc agamus: An hereticis, qui verè hæretici sunt, seruanda sit fides, nec ne? Neque misceamus odiosas illas & particulares quæstiones: An Pontificij, an Lutherani, an Calvinistæ verè hæretici sint? Maneamus in thesi generali, De hæreticis, qui verè sunt hæretici. Aut si lubet speciatim descendere ad hos vel illos in particulari; descendamus ad eos, qui & vestra, & nostra opinione, verè hæretici sunt, vt Donatistæ, Manichæi, Ariani. Sic enim futurum est, vt de fide hæreticis seruanda, maiori fide ac cādore inter nos agatur. Hoc iactō fundamento, accuratè examine- mus, an principia à me posita, vera sint, nec ne. Neq; vel tu cogites, Calvinistas à Pontificiis: vel ego cogitem, Pontificios à Calvinistis, pro hæreticis haberi. Hæc enim cogitatio solet turbare animum, vt sincerè iudicare vel non velit, vel ægrè possit, Est igitur

## PRIMUM BECANI PRINCIPIVM.

5. *In promissis, pactis, & conuentis, seruanda est fides Manichæis & Donatistis, etiamsi verè hæretici sint: modo promissa, pacta, & conuenta sint alias licita & honesta.*

**H**Vius principij duæ sunt partes. Vna, in promissis, pactis, & conuentis, fidem hæreticis seruãdam esse: Adde, nec minus hæreticis, quam Catholicis. Ratio est, quia obligatio seruandæ fidei in promissis & pactis oritur ex virtute veritatis, fidelitatis, & iustitiæ, vt fuse in supradicto meo Tractatu demonstratum est. Neque tu id negas, sed approbas. Iam vero virtutes illæ æquè nos obligant, siue paciscamur cum hæreticis, siue cum Catholicis. Sicut enim veritas me obligat, vt non mentiar Catholico; fidelitas, vt non sim perfidus Catholico; iustitia, vt non faciam iniuriam Catholico: ita etiam me obligant, vt non mentiar, non sim perfidus, non sim iniurius hæretico.

6. Hinc sequitur, si Catholicus paciscatur cum hæretico de cõmutatione

ne



ne aut venditione fundi, de feudo, emphyteusi, piscatione, venatione, de saluo conductu, de dote matrimoniali, de subsidio in iustum bellum conferendo, & de alijs similibus, quæ iure gentium concessa sunt; pacti fidem seruandam esse. Nunquid idem sentis, D. Paree? Si sic, mecum sentis. Sin aliter, iam tuo ipsius iudicio perfidiæ Magister es. Hūc enim titulum tribuis illis, qui vel negant, vel tua opinione videntur negare, fidem hæreticis seruandam esse.

7. Altera pars continet hanc clausulam: *Modo promissa, pacta & conuenta sint alias licita & honesta.* Quid censes, Paree? Rectene posita est hæc clausula, an tollenda? Si ais recte positam esse, mecum sentis. Neque verum est, primum principium per appositionem illius clausulæ destrui ac euerti. Si ais tollendam esse (sicut præ te fers) quid respondebis vtriusque Iuris Doctoribus, qui mecum docēt, promissiones etiam iuramento confirmatas, si sint de re illicita vel turpi, seruandas non esse? Audi ipsorum verba. In iure ciuili sic ha-

bes: *Legibus expressum est, illicita rei iurandum seruari non oportere.* (L. Imperialis, §. quod eis permittitur, Cod. de Nuptijs.) In iure autem canonico, præfertim apud Gratianū, causa 22. quæst. 4. hæc passim obuia sunt. Primo: In malis promissis rescinde fidem. 2. Non est obseruandum sacramentum, quo malum incautè promittitur. 3. Magnæ sapientiæ est, reuocate hominem, quod male locutus est. 4. Si aliquid forte incautius nos iurasse contigerit, quod obseruatum in peiorem vergat exitum, illud salubriori consilio mutandum nouerimus. 5. Iuramenta illicita laudabiliter soluuntur; damnabiliter obseruantur. 6. Iuramentum non est vinculum iniquitatis.

8. Quod etiam varijs exemplis in utroq; iure confirmatur. Primo, exemplo Herodis, qui peccauit seruando illicitam promissionem ac iuramentum. (can. Est etiam, 22. quæst. 4.) Secundo, exemplo Dauidis, qui laudatur, quod non seruauerit iuramentum, quo promiserat se interfecturum Nabal. (can. si  
ali-

aliquid, ibidem.) Tertio, exemplo mulieris adulteræ, quæ iurauerat se adultero adhæsurâ. Et quia hoc non fecit, non censetur violasse iuramentû, sed prudenter omisisse. (can. Mulier, ibidē.) Quarto, exemplo cuiusdam Hubaldi, qui iurauerat, se concubinam suam velle accipere in vxorē; & propriam matrē cū fratrib. è domo expellere, nec vllâ eis alimoniam præstare. Cui suasum fuit, vt posteriorē partem iuramenti, vtpote illicitâ non seruaret (can. inter cætera, ibidem.) Quinto, exemplo mulierum scenicarû, quæ iuramento promiserant, se permansuras in suo peccato, & libidinis infamia. Quibus responsû est ab Imperatore, tali iuramento ac pmissione eas non obligari. (L. citata, C. de Nuptijs.)

9. Si hæc vera sunt (de quo nec Theologos, nec Iureconsultos vestros Heidelbergenses dubitare, certo mihi persuasum est) necessario sequitur, clausulam illam, quam addidi: *Modo promissa, pacta & conuenta sint alias licita & honesta*; omnino addendam esse. Et, si illorum iudicio, addenda est, non rectè à te

dictum, primum principium per illam clausulam destrui ac euerti. Hic velim, sincere tuam mentem aperias. Quod si contemptu vtriusque iuris & Interpretum autoritate, putes te plus sapere, quam illi sapiant; & pertinaciter asseras, supradictam clausulam submouendam esse; responde ad hunc casum, quæ propono. Pareus cum Catharina pactus est de adulterio, & de veneno marito ipsius porrigendo. Quæstio est, an teneatur seruare fidem; & vi illius pacti, adulterium committere, & venenû porrigere? Vide, quid respondeas. Si putas te non teneri, hoc ideo est, quia pactum est turpe & illicitum. Et sic, tua opinione, clausula illa, quam addidi: *Modo pacta sint alias licita & honesta;* addenda est. Si autem putas te teneri, putas etiam teneri te ad peccatum. At nulla est obligatio, quæ hominem constringat ad peccatum. Nec ex vlla virtute oriri potest talis obligatio. Alioquin virtus non esset virtus, sed vitium. Quo nihil absurdius.

SE-

SECUNDVM BECANI PRINCIPIVM.

10. *Libertas fidei ac religionis planè illicita est, & Christiana doctrina contraria, & Reipublica noxia ac pernitiōsa.*

**H**Oc principium continet tres partes. Prima est, libertatem fidei ac religionis plane illicitam esse. Quam sic probo. Libertas religionis, de qua hic loquimur, in eo consistit, vt quilibet possit habere liberum exercitium hæreticæ religionis, id est, libere profiteri hæresin Donatistarum, & eorum Sacramenta vsurpare. Hoc sine dubio illicitum est. Nã, vt rectè docent Theologi, grauius peccatum est hæresis, quã adulterium, homicidium, furtum. Si ergo liberum exercitium adulterij, homicidij, & furti planè illicitum est; multo magis liberum exercitium hæresis. Nemo sanæ mentis id negat.

11. Secunda est, liberum exercitium hæreticæ religionis cōtrarium esse doctrinæ Christianæ. Nihil certius. Nam doctrina Christiana est vera; hæretica

E s            reli-

religio, falsa. At verum falso contrariū est. Quo spectat illud 2. Corinth. 6. 15. *Qua societas luci ad tenebras?* Rursum, doctrina Christiana est vna, Eph. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Doctrina hæretica est multiplex ac varia, Hebr. 13. 9. *Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci.* At vnum & multiplex, in hoc genere, non aliter opponuntur, quam vnus & plures Dij. Vel, quam vnus verus Deus, & multi falsi Dij.

12. Tertia est, liberum exercitium hæreticæ religionis, Reipublicæ noxi-um ac perniciosum esse. Et quidem dupliciter. Primo, quoad salutem animarum. Quod insinuat Apostolus 2. Tim. 2. 17. vbi de hæreticis sic scribit: *Sermo eorum, vt cancer, serpit.* Quasi dicat: Sicut cancer est morbus contagiosus, qui vbi vnam corporis partē occupauerit, sensim peruadit & corrumpit totū corpus: sic hæresis est contagiosa doctrina, quæ vbi vnum aut alterum hominem in aliqua communitate possederit, paulatim inuadit & peruertit totam communi-

muni-

munitatem, nisi mature occurratur. Secundo, quoad externam pacem & tranquillitatem. Hæc enim sine vnitæte fidei conseruari non potest. Vbi ergo diuersitas fidei est, ibi dissensiones & factiones esse, necesse est. Hoc testatur Christus, cum ait: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Hoc testantur omnium pene sæculorum exempla. Ariani turbarunt totum Orientem: Macedoniani Græciam: Donatistæ Africam. Taceo cætera. Et quid hoc tempore turbat Hollandiam, nisi dissensiones vestrorum hominum, id est, Caluinistarum? Gommaristæ vi & ferro persequuntur Arminianos, Nimirum Caluinistæ Caluinistas. Malim de hac re silere, quam loqui, quia odij ac inuidiæ plena est. Sed tamē, vt videas Paree, quam verum sit, quod asserui de exercitio hæreticæ religionis; volui potius insinuare, quam penitus dissimulare.

TER-

## TERTIUM BEGANI PRINCIPIVM.

13. *Princeps Catholicus non potest præcipere, approbare, aut introducere libertatem religionis; sed omnibus modis, quantum fieri potest, impedire. Si tamen sine maiori detrimento boni publici impedire nequeat; potest eam tolerare, tanquam minus malum, ad evitandum maius malum, quod alioqui sequeretur. Et, si paciscatur cum hæreticis de toleranda libertate religionis, fides pacti servanda*

*est.*

**H**Vius principij sunt etiam tres partes. Prima, Principem Catholicum non debere præcipere, approbare, aut introducere, sed omnibus modis, quantum fieri potest, impedire liberum exercitium hæreticæ religionis. Sequitur ex dictis. 1. Quia huiusmodi exercitium est illicitum. 2. Est doctrinæ Christianæ contrarium. 3. Est Reipublicæ pernitiosum. 4. Est magis detestabile, quam exercitium adulterij, homicidij, furti. Quis autem neget, Principem in sua Republica debere omnibus modis, quantum fieri potest, impedire liberum exer-



exercitium adulterij, homicidij, furtiꝝ  
Quanto magis liberum exercitium hæ  
relis? Hinc illa sanctio Imperatoria, L.  
Nullus, Cod. De summa Trinitate &  
fide Catholica: *Nullus hæreticis ministe-  
riorum pateat locus.* Item, *Arceantur  
cunctorum hæreticorum ab illicitis congre-  
gationibus turbæ.* Item, *Si quid eruptio fa-  
ctiosa tentauerit, ab ipsis etiam urbium mœ-  
nibus propelli iubemus.* Et L. Cuncti,  
Cod. de hæreticis & Manichæis: *Cun-  
cti hæretici procul dubio nouerint, omnia  
sibi loca adimenda esse.* Vide plures leges  
ibidem.

14. Altera est, Si Princeps Catho-  
licus, sine maiori incommodo boni  
publici, nō possit impedire exercitium  
hæreticæ religionis; posse tunc illud to-  
lerare seu permittere, ad maius illud in-  
commodum euitandum. Ita sentiunt  
grauissimi Authores, qui passim docēt:  
Ex duobus malis, si ambo simul euitari  
nequeant, minus malum eligendum  
esse. Et ratio est, quia in tali casu non e-  
ligitur minus malum, quatenus malum  
est, sed quatenus conducit ad euitan-  
dum

dum maius malum, quod aliter euitari non potest. Ac proinde eligitur sub ratione boni vtilis seu conducibilis. Deinde, ipsa natura hoc dictat. Quis n. ex instinctu nature nō agnoscit, stultū esse, ex duob. malis occurrentib. eligere id, q̄ mai⁹ est? Tu ipse dic Parea; si latro alterutrū è duob. vel pecuniā, vel vitam tibi vellet auferre; malle s̄ne vitā, quam pecuniā amittere? Non opinor. Accomodemus ad rē, de qua agitur. Donatistæ petūt à Catholico Principe, vt p̄mittat ipsis exercitiū suæ hæresis in vno tēplo: Et simul minātur, nisi annuat, se omnia Catholicorū tēpla occupaturos, & Catholicorū exercitium abolituros. Quid faciet Princeps? Si potest vtrunq; euitare, tenetur. Si alterutrum eligendum est, eliget quod minus est. Minus malum est, permittere hæreticis vnum templū pro exercitio; quā permittere, vt omnia deuaſtentur, & fides Catholica penitus extirpetur. Nemo dubitat. Si tu aliter sentis, parum sanus es.

15. Tertia est, Si Princeps Catholicus paciscatur cum hæreticis de toleranda  
randa

randam libertate religionis, quã sine maiori incõmodo boni publici impedire non põt, fidem pacti seruandã esse. Ratio patet ex dictis, quia fides seruari debet in omni pacto licito & honesto: atqui licitũ & honestũ est, tolerare libertatẽ religionis ad maius malũ euitandũ; & de ea toleranda licitẽ & honestẽ pacisci põt Princeps Catholicus, in tali necessitate: Ergo, si paciscitur, fides seruãda est. Repetã exemplũ, q̃ posui. Princeps paciscitur cũ Donatistis de tolerãdo exercitio religionis ipsorum in vno tẽplo, ad euitandũ huiusmodi exercitium in reliquis tẽplis, i. paciscitur de tolerando minori malo ad euitãdum maius malum; teneturne seruare fidẽ, nec ne? Si ais seruandum esse, cur me perstringis, qui idem doceo? Si negas seruandam esse, cur seruanda non est? An quia pactum, vt tu putas fortasse, illicitum est? Concedis ergo fidem seruandam esse, cum hac clausula, modo pactum sit alias licitum. At hoc supra negasti, vel visus es negare. Dic rotunde & sine ambagibus, quid sentias.

Quar.

QUARTVM BECANI PRINCIPIVM.

16. *Promissum vel pactum, per vim aut metum iniuste extortum, rescindi potest, si is velit, qui iniuste vim aut metum passus est.*

PROPTER hoc principium, quod etiã posui in supradicto meo Tractatu, vocas me perfidiæ Magistrum. Sed audi, mi homo. Non sum perfidiæ Magister, sed doceo, quod docent vtriusque Iuris Doctores ac Interpretes. Illorum doctrina hæc est. Si quis vi vel graui metu iniuste coactus est contrahere vel pacisci; huiusmodi contractus vel pactum non est quidem planè irritum; potest tamen à Iudice rescindi & in irritum reuocari, si is, qui iniuriam passus est, id postulet à Iudice. Hanc posteriorem partem, quam tu carpis, reperies in vtroque iure. Et quidem in iure canonico, cap. 2. De his, quæ vi, sic legimus: *Vnde, quia quæ metu & vi fiunt, debent iure in irritum reuocari; mandamus, quatenus prædicto R. cum integritate restituas omnia.* Et ibidem cap. 4. *Quæ vi metusue causa fiunt, carere debent robore fir-*

*firmitatis. Et in iure ciuili, L. vltima, C. de his, quæ vi: venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari. Et ratio est, quia qui alteri vim, aut grauem metum iniuste incussit, iniuriam illi intulit: Ergo tenetur illum in priorem statum restituere; & alter habet ius exigendi hæc restitutionem. Quo spectat illud, L. si mulier, ff. quod metus causa: Si metu coactus adiui hereditatem, puto me heredem effici; quia quamuis, si liberum esset, noluissem; tamen coactus volui: sed per Præto-rem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur. Si hæc, Pæce, tibi omnia desipiunt, transige cum Iureconsultis Heidelbergensibus. Sed caue, ne & ipsos, si aliter, quam tu, sentiant, perfidiæ Magistros appellaueris. Alioqui vapulabis.*

### CONCLUSIO.

17. **H**Atenus repetiui principia à me posita. Nunc diserte ex te quæro, vera an falsa sint, tuo iudicio?

F

Si

Si falsa, ostende falsitatem: Et sigillatim explica, quid vitij in singulis lateat: Et quomodo occurrendum sit auctoritatibus & rationibus, quibus ea confirmari. Idque præstari à te velim, vel publico scripto: vel coram Discipulis Heidelbergensibus, qui forte te accessuri sunt, & determinatam à te sententiam rogaturi.

18. Si vera sunt (quod puto te concessurum) carpi non debent. Nec vlla ex ijs consequentia, nisi quæ vera sit, legitime deduci potest. Nam regula Dialecticorum est: Ex vero non nisi verum. Vnde sequitur, me innocentem hic esse, te nocentem. Nam & principia à me posita, vera sunt: Et similiter omnes conclusiones, quæ legitime ex illis deducuntur, veræ. At tu nocens es. Nam multa concludis ex meis principijs, quæ ais absurda esse. Vel ergo absurda sunt, vel non. Si absurda sunt, tu culpandus es, qui ex veris principijs illegitimè colligis absurdas consequentias. Si absurda non sunt, iterum culpandus es, qui invidiose fin-

se fingis absurda esse, quæ non sunt.  
Quidquid hic dixeris, captus es.

19. Sed vt clarè appareat, quæ & quales sint consequentiæ, quas inferes ex meis principijs, ostendam hoc vno aut altero exemplo. Igitur ex vltimo meo principio sic concludis: Becanus docet, pacta rescindi posse: quomodo ergo Evangelici possunt tuto pacisci cum Pontificijs, si Pontificijs licitum est, pacta semel inita, pro suo arbitrio rescindere, & in irritum reuocare? Respondeo. Ego doceo, quod Iureconsulti docent, pacta per vim aut metum iniuste extorta rescindi posse; quod est verissimum: Non autem absolute, pacta quocunq; modo inita, rescindi posse. Itaque iniuriam mihi facis. An autem Evangelici (sic vocas Calvinistas) per vim & metum iniuste extorqueant pacta à Pontificijs, de eo nihil dixi. Si tu supponis, iniuste eos extorquere, iã fratrum tuorum accusator es. Vide, vt legitime probes crimen, quod obijcis. Si autem id nõ supponis, quid mecum litigas? Certè meum principium, quo

tuabuteris, æquè pertinet ad omnes, qui iniuste per vim aut metum extorquent aliquod pactum, siue sint Pontificij, siue Evangelici: siue Catholici, siue hæretici. Possum enim legitime sic argumentari: Pactum, quod quis per vim aut metum iniuste extorquet, rescindi potest: At, verbi gratia, hoc pactum de tradendo feudo, per vim & metum iniuste extorsit Petrus Catholicus, aut Donatus hæreticus: Ergo hoc pactum rescindi potest. In quo syllogismo maior vera est. De minori quæritur, vera sit, nec ne. Si vera est, conclusionem veram esse, necesse est. Si falsa, nihil efficitur. Simile est hoc argumentum ex Apostolo: Ebriosi, vt docet Apostolus, regnum Dei non possidebunt: At hic Catholicus, aut ille hæreticus est ebriosus: Ergo hic Catholicus, aut ille hæreticus regnum Dei non possidebit. Puto te agnoscere tuas ineptias & imposturas.

20. Aliud addo exemplum. Ex secundo meo principio sic concludis: Libertas religionis, vt docet Becanus, est  
pla.



plane illicita: Ergo ex sententia Becani, non licet pacisci de libertate religionis, quod repugnat tertio ipsius principio. Respondeo. Tu omnia confundis. Aliud est, libertas religionis, seu liberum exercitium hæreticæ religionis; aliud tolerantia illius exercitij: Liberum exercitium hæreticæ religionis semper est illicitum, & de eo pacisci non licet. At tolerantia illius exercitij potest esse licita, ac proinde de tolerantia licitè pacisci quis potest. Omitto reliquas nugas, quibus Lectori conatus es imponere. Et serio rogatum te volo, ut in hac tua senectute magis sollicitus sis, quomodo per charitatem Deo placere, & saluari possis; quam quomodo per fraudes & calumnias proximo nocere. Hoc fac & vi-

ues.

F I N I S.

*Errata sic corrige.*

Pag. 7. linea 6. dictum, dictu. p. 9. l. 22. pugnatione, purgatione. p. 16. l. 8. subdit, subit. p. 32. l. 7. filiorum, filiolum. p. 68. l. 4. contemptu, contempta.

placuit: Ergo tractata hanc  
non licet pariter de libertate religio-  
nis, quod requiritur in quibus  
placuit. Tunc a contra-  
Aliud est, libertas religionis, seu libe-  
ram exercitum hanc religionis  
sicut tolerantis illius exercitij. Et licet  
tam exercitum hanc religionis  
semper esset illius exercitij. Et licet  
licet. A tolerantis illius exercitij po-  
est esse libertas, ac prout de tolerantis  
licet pacisci quis potest. Omitte reli-  
quas partes. In quibus licet conatus es  
impedire. Et licet religionis, ut  
in hac tractata hanc religionis  
quomodo per charitatem Deo place-  
re. Et licet religionis, quomodo per  
et licet de libertate religionis no-

certum hoc est  
us  
F. A. N. 2.  
F. A. N. 2.  
Pag. 7. Inca. 4. dicitur. de p. 1. 2.  
p. 1. 2. dicitur. de p. 1. 2.  
de p. 1. 2. dicitur. de p. 1. 2.  
est. 4. conuenit. de p. 1. 2.






Andreas Eridaemon - Johannes


HAB Wolfenbüttel

23



11 710 543





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Blue	Black
Cyan	Cyan	3/Color
Green	Green	White
Yellow	Yellow	Magenta
Red	Red	Magenta
		White
		Black

3

OLA  
 TINI  
 NI SO-  
 IS IESV  
 LOGI

12

IDEM  
 THEO-  
 HEIDEL-  
 NSEM.  
 S COLLO-  
 ALBACENSIVM,  
*icis seruanda.*



3

NTIÆ,  
 IS ALBINI.  
 . XIX.

